

quemdam tormenta summa cum constantia sustinuisse, dixisse fertur : Quam miser est homo, qui constantiam in res tam flagitiosas, ac turpes collocat. *PLUT.*, in *Lacon*.

Zeno dicebat, facilis esse utrem inflatum mergere, quam quemvis probum virum invitum ad aliquid agendum cogere; nam invictus animus, rationis recte placitis conformatus, cedit nemini. *POLYANT.*, f. 247.

Chilon dicere solebat, tarde quidem agredienda esse omnia : verum cum semel excepta sunt, tantissime in agendo perseverandum. *SABB.*, *S. de Prud.*

Quidam dixit, virtutes omnes professas, et voti tenaces esse debere, alludens ad claustrum Monialium, quibus puellæ sæculares ad tempus commorantur, et subinde evagantur, ipsæ autem Moniales ob professionem constanter perseverant. *ENGELGR.*, in *Dom. 3 post Pent.*

In vestis aaronicæ ora inflata inter campanulas aureas mala punica purpurescebant; quæ quia inter fructus excellunt, merito virtutum præmia significant, sed non conferenda nisi iis, qui opus ad extremam fimbriam, id est, ad finem perduxerint. *EXOD.*, xxxix, 22.

Ante omnia hæc cura, ut constes tibi. Majus est, ut proposita custodias, quam ut honesta proponas. Sed plerisque vita per lusum agitur, judicia nostra tantum prava, sed et levia sunt. *SENEC.*, de *Otio*. Fluctuamus aliudque ex alio comprehendimus : pelita relinquimus, relicta repetimus : alternæ inter cupiditatem nostram, et penitentiam vices sunt. Nemo proponit sibi, quod velit, nec si proposuit, perseverat in eo, sed transiit, nec tantum mutat, sed reddit, et in ea, quæ deseruit ac damnavit revolvitur.

Perseverandum est, inquit idem Seneca, et assiduo studio addendum robur, donec bona mens sit, quod bona voluntas est. *Ep. xvi.*

**NECESSITAS.** — Petrus Aldobrandinus Cardinalis dicere solebat, perseverantiam esse virtutum baculum, quo nisi nitantur, omnes corruunt. *DREX.*, in *Trismeg.*, l. I, c. viii, § 10.

Pulchre ad perseverantiam hortatur S. Cyprianus his verbis : Hortamur vos per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos et simplicem charitatem, ut gloriam vestram forti, et perseveranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quo-

tidie dimicamus : danda opera est, ut post hæc initia ad incrementa quoque veniat, et consummetur in vobis, quod jam rudimentis felicibus esse cœpistis. Parum est, adipisci aliquid potuisse; plus est, quod adeptum est, posse servare. *L. I, ep. v.*

Si te lunæ contristat occasus, inquit S. Ambrosius, quæ se semper reparat ac reformat, multo magis contristare te debet, si anima profectu virtutis impleta cum fuerit postea per inconstantiam mentis atque incuriam a suo deflexa proposito, studia sua sæpe commutat, quod est insipientiæ ac stultitiæ. Unde et Scriptura ait : Stultus ut luna mutatur. In *Hezam.*, l. IV, c. viii.

Quid prodest, quod discedis, qui undique adstrictus es vinculis passionum : quin hinc atque illinc circumvallant vitia sua? Digne aliquis discederet, si eo ire posset, ubi enim diabolus invenire non posset. Nemo se fallat : non fugiet adversarium de loco in locum, sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem; si eum fugias, sequitur. Emenda te, et fugiet te, sicut ait Apostolus : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. *FAUSTUS REGIENSIS*, fol. 2, ad *Monach.*

**UTILITAS.** — In excelso est beata vita, sed perseverantia penetrabilis. *SENECA*, *ep. lxxv.*

O Fratres mei, inquit sanctus Augustinus, non tædæ incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes, quod perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, cunctos con-ducit ad portum. *Serm. viii.*

Hæc (scilicet perseverantia) est virtus, quæ Deum ligat, quæ omne bonum informat, qua laureantur Martyres, qua Virgines coronantur, qua Sacerdotes sublimantur, et Confessores. *IBID.*

**DIGNITAS.** — Hoc summæ honestatis insigne est, hanc totius probitatis unicam fidamque custodem custodiri a vobis firmiter hortor, et precor. *S. BERN.*, *ep. cxxxix.*

Flavius Vespasianus dicere solebat, Imperatorem stantem mori oportere, ut significaret, constantiam Imperatorum propriam esse virtutem. *Chronol. Princ. et series Imper.*

Rupes alta in mari assurgens cum inscriptione : nec flumine, nec fulmine, nec flamine : (intellige movetur) animi generosi, et constantis symbolum est. *ANONYM.*

## AXIOMATA.

Vetus Juristarum pronuntiatum est : non sufficit litem instituire, si non in ea perseveres. *DIGEST.*, de *Inoff. testament.*, l. xv.

Operis victoria finis, seu, finis coronat opus. *OVID.*, *Metam.* vi.

Principium servet, medium tepet, ultima frigent. Hoc corrigit perseverantia faciens, ut rectius dicatur : Principium friget, medium tepet, ultima servent. *ANONYM.*

Eodem modo illud Proverbum : Mane plasterium, meridie convivium, vesperi convitium, et propudium, mutat in hoc : Mane principium, meridie convivium, vesperi delictum et gaudium. *ENGELGR.*, *Dom. 3 post Pent.*

Exitus acta probat.

## AUCTORES.

Theophilus Bernardinus, de *Perseverantia præsiiliis.*

Joannes Busæus, in *Panario V. Inconstantia.*

Jeremias Drexelius, in *Rosis Marianis*, p. I, c. xv.

Eusebius Nierembergius, in l. de *Adoratione in Spiritu, et veritate*, l. III, c. vii. Item, in *Doctrinis Asceticis*, l. II, doctr. vi, c. iv.

Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. VII, c. ix.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. III, p. II, c. ix, § 7.

Hieronymus Platus, de *Bono status religiosi*, l. III, c. xxxii.

Lucas Pinellus, de *Perfect.*, l. III, c. xii. Bernardin. Rosignolius, de *Discipl.*, l. IV, c. xxxii.

Henr. Engelgr., conc. in *Dom. 3 post Pent.*

Josephus Mansi, *Bibl. moral.*, l. XXI, tr. lxxx.

Joannes Rho, *Virtut. var.*, l. VI, c. vii.

## PIETAS ERGA PARENTES.

## QUOAD ESSENTIAM.

**DEFINITIO.** — Est virtus, qua iis, qui ortus et educationis nostræ principium sunt, debitum cultum tribuimus. Unde hæc virtus parentum quidem primario, secundario tamen etiam ad Patriam, fratres, aliosque sanguine conjunctos se extendit. *S. AUG.*, l. LXXXIII, *qq. 9. iii.*

**DIVISIO.** — Dividi potest in pietatem erga parentes « carnales, et spirituales, » quorum illi vitæ temporales vitæ auctores sunt, dum vel ex baptismo nos susceperunt, vel in rebus ad fidem Christianam pertinentibus instruxerunt, vel alio modo ad salutem nostram cooperati sunt. *BERLINCK*, tom. VI, fol. 348.

**ACTUS.** — « Non erubescere conditionem parentum, » uti recte S. Ambrosius ait : etsi pauper est (pater) et non habet divitiarum copias, quas relinquit filiis, habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, quas sanctificationum opes successoribus largiatur. Et multo plus est, beatum, quam divitem fieri; ideoque, et Jacob festinabat ab Isaac sumere benedictionem. Hanc conditionem filiorum Benedictus Pontifex diligenter observavit, dum matrem suam pretiosis vestibus indutam in conspectum admittere noluit, nisi vilioribus staturum suum humilem decentibus indueretur. *S. AMBR.*, l. de *Bened. Patriarch.*

« Eisdem honorare; » nam, teste S. Hieronymo, primus gradus pietatis est, ut, quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis, sed nec vultu lædenda esse pietas parentum. Meretur cæcitate subire supplicium, qui parentum vultus torvo visu despexerit. *S. HIERON.*, in *verba illa : Honora Patrem.*

« Eos timere; » quemadmodum ipse Deus præcepit : Unusquisque patrem suum, et matrem suam timeat. *LEVIT.*, xix, 3.

« Etiam amare illos; » nam ita ipsa lex naturæ jubet, teste S. Ambrosio, quæ omnibus animantibus tenerum erga parentes suos amorem indidit. In *PSAL.* cxviii.



« Obedientiam debitam illis præstare; » ita enim Apostolus præcepit dicens: « Filii, obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est. *EPHES.*, vi, 1.

« Victum, aliisque necessaria si his indiguerint, subministrare: » ut S. Hieronymus monet: « Fauces tuæ necdum lacteum perdidit sapor, quem tibi pia mater infundens, linguam tuam pavit potu corporis sui; impende patri, matrique servitium, qui nunquam tuos vagitus horrentes totum in te lambent oculis corpus. Aliam hujus obsequii rationem assignat S. Ambrosius, dum ait: « O Filii, quantum tibi sumes iudicium, si non pascas parentem! Illi debes, quod habes, cui debes, quod es. Si non propter gratiam et salutem, propter verecundiam pasce. » *Lib. de bon. Patrum.*

« Periculo eripere: » Sicut Æneas fecit, patrem suum ex incendio Trojano eripiens, ut Virgilius testatur sic loquentem introducens:

Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto  
Sperasti, tantumque nefas patrio excidit ore?  
Alterum in alterius mactatos sanguine cernant.

## EX S. SCRIPTURA.

**QUALITAS.** — Audi patrem tuum, qui genuit te: et ne contemas, cum senuerit mater tua. *PROV.*, xxiii, 22.

Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. *ECCLES.*, iii, 8.

In opere, et sermone, et omni patientia honora patrem tuum. *IB.*, 9.

Fili, suscipe senectam patris tui, non contristes eum in vita illius, et si defecerit sensus, veniam da, et ne spernes eum in virtute tua; elemosyna enim patris non erit in oblivione. *IB.*, 12.

**NECESSITAS.** — Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infidelis deterior. *I TIM.*, v, 8. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem, et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. *ECCLES.*, iii.

Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. *EXOD.*, xxi, 15. Maledictus, qui non honorat patrem

suum, et matrem: et dicit omnis populus: Amen. *DEUT.*, xvii, 16.

Oculum, qui subsannat patrem, et qui despiciat partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. *PROV.*, xxx, 17.

**ÆQUITAS.** — Honorem habeis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. *TOB.*, iv, 3.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est. *EPHES.*, vi, 1.

Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. *COLOSS.*, iii, 20.

Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribuere illis, quomodo et illi tibi. *ECCLES.*, vii, 29.

**UTILITAS.** — Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram. *EXOD.*, xx, 12.

Honora patrem tuum, et matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi. *DEUT.*, v, 16.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. *PROV.*, i, 8.

Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur. *ECCLES.*, iii, 6.

Sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam. *IB.*, 5.

Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio illius, et in novissimo maneat. *IB.*, 10.

## EX SS. PATRIBUS.

**QUALITAS.** — Christianorum est prima pietas, honorare parentes, et labores educationis rependere, atque omni studio quæcumque ad eorum quietem pertinent, curare. S. CYRILL. *HIER.*, *Catech.*, vii.

Amandus est genitor, at præponendus Creator. Hoc audivimus in CANTICIS CANTICORUM: Ordinate in me charitatem; idest, facite gradus et cuique, quod debetur restituite. Nolite anteriora posterioribus subdere: amate parentes, sed præponite Deum parentibus. S. AUG., ser. vii, de *Verb. Dom.*

Honora patrem tuum, sed si te a vero patre non separat. Tamdiu scito sanguinis copulam, quamdiu ille suum noverit Creatorem. Alioquin David protinus tibi dicit: Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum. S. *HIER.*, *Ep. x, ad Furium.*

Ordinate in me charitatem. Rectus ordo est, post Deum amare patrem et amicos. Si tamen necessitas venit, ut utrumque servari non possit, odium in suos, pietas est in Deum. *IDEM*, in *Cant.*

Primus gradus pietatis est, ut quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequis, abstineas contumeliis, nec vultu lædenda est pietas parentum. *AMBR.* sup. *Matt.*

Parentum cura habenda est ad ultimum usque spiritum. S. *CHRY.*, sup. *Joan.*, hom. xxiv.

Diligamus illos, qui nobis cogitatione conjuncti sunt, et quos proximos novimus, diligamus, et quos adversarios in via Dei compatimur, odiendo et fugiendo nesciamus. S. *GREG.*, in *Evang.*

Meretur cæcitatibus suæ subire supplicium, qui parentum vultus lorve visu despexerit, et elatis oculis læserit pietatem. *HIER.*, in *Math.*

**ÆQUITAS.** — Honora tuos parentes, quia Dei Filium suos honoravit: legisti enim: erat subditus illis. Si Deus servulis, quidni tu parentibus? Honoravit igitur Joseph et Mariam Christum non naturæ debito, sed pietatis officio; honora ergo et tu parentes. S. *AMBR.*, lib. viii, in *Luc.*, c. vii.

Disce, quid parentibus debeas tuis. Tu matris debes pudoris injuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matris longa fastidia, discrimina, cui misera in ipsis votorum fructibus majus periculum est, et cum ediderit, quod optavit, partu absolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar filiorum profectu, multiplicatis alienis usibus census, jactaque agricolæ semina propterororum ætatibus profutura. S. *AMBR.*, lib. viii, in *Luc.*, c. iii.

Pasce matrem tuam. Etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores: non reddidisti cruciatum, quos pro te passa est: non reddidisti obsequia, quibus illa te gestavit: non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgeus labris suis ubera: non reddidisti famem, quam

illa pro te toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi mandicavit, tibi illa, quem voluit, cibum non accepit, tibi quem noluit, cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit, et tu illa egere pateris? *IBID.*, l. viii, c. xvii.

**UTILITAS.** — Qui rectam viam sequi voluerint, murum in modum proficiunt, si didicerint, nullam rem excellentiorem fore, quam pietatem filiorum, observantiamque in suos parentes. Ideo dixit Deus: Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut bene sit tibi. Parentes enim imaginem Dei quodammodo gerunt. S. *CYRILL. ALEX.*, lib. iv, in *Gen.*

## EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

**PIETAS EXERCITA.** — Christus subditus erat parentibus suis usque ad trigessimum annum, ideoque ætate, sapientia, et gratia profecit coram Deo in hominibus. *LUC.*, ii, 13.

Thomas Morus Agelie Primas flexis genibus a patre suo benedictionem solutus est petere. *Pædog. Christ.* part. I, cap. vi, § 3, n. 3.

Alphonsum Aragonum Rex patri Ferdinando obviam progressus, equo desiliit, ac pedibus eum comitabatur; monenti autem patri, ut procerum more equo consensu adequaret, respondit: Aliis liberum sit agere, quot voluerint. Ego nunquam adducar, quin Regem et eum ægrotum pedibus sequar. *FABER.*, p. I, conc. v, *Festo.*

Salomon Rex venienti ad se matri suæ surrexit in occursum ejus, adoravitque eam, et sedit super thronum suum, positusque est thronus matris Regis, quæ sedit ad dexteram ejus. *III REG.*, ii, 19.

Joseph Patriarcha videns patrem suum mortuum ruit super faciem ejus, flens et deosculans eum. Præcepitque servis suis et medicis, ut aromatibus condirent patrem. Et celebravit exequias planctu magno ac vehementi septem diebus. *GENES.*, xxx, 1, 40.

Rex Britanniæ, nomine Leyr partiturus regnum suum inter tres filias, quærebat ex singulis, quantum ipsum diligerent. Respondentibus primis duabus seipsam diligere plus quam animas suas, tertia dixit:



se diligere eum ut patrem, addiditque: quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo. Ob quod dictum iratus pater ipsam exhæreditavit, reliquis duabus regnum divisit. Quæ tamen senescentem patrem maritorum opera regno spoliavit; ad eam vero, quam exhæreditaverat, Regni Franciæ nuptiam confugiens dixit: O filia, quam vere mihi dixisti: Quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo. Dum enim habui, quod darem, multum valui apud sorores tuas: tunc vero cum nihil habeam, nihil prorsus valeo. Itaque a filia sua receptus, et benigne habitus, iterumque regno restitutus est. Vide: « Plura in Appendice, quorum seriem index dabit. FAB., conc. VIII in *Poracev.*, § 38.

Constantinus Imperator, tanti habuit Helenam matrem suam, ut potestatem ei faceret regis thesauris utendi pro suo arbitratu, utque civitates duas matris nomine ad sempiternam ejus memoriam insigniret; defunctam etiam honoribus maximis prosequeus, ac eidem statuam publice instituit, quæ, Suida teste, Augusteum nuncupata est. RUFFINUS, l. X *Hist. Eccles.*, VII et VIII.

Civis Toletanus quidam, cujus pater faber aurarius a Petro primo Rege Castelloniis ob falsas suspiciones morte damnatus erat, amore erga patrem compulsus, lacrymis precibusque agere non destitit, ut, servato patre, ipso pro eo occideretur. Quod assensus vitam amisit, ut in vita servaret eum, a quo ipse per genituram acceperat vitam, tanto omnibus aliis in hac charitatis laude preferendus, quanto aliis rebus omnibus vita charior est. FULGOS., l. V, c. IV.

De Josepho legitur, quod patrem una cum filiis et nepotibus suis in Ægyptum vocaverit, et magno cum honore lætitia et amplexibus eos suscepit, et tempore famis sustinuerit. GEN., XLV, XLVI et XLVII.

David cum Regis Saulis furorem fugiens incertis vagaretur sedibus, parentes suos Regi Moabiturum commendavit. I REG., XXI.

Tobias Tobie filius, ut paternæ cæcitati remedium quæreret puer adhuc, omniumque rerum ignarus domo peregre profectus celestem meruit ducem sortiri, cujus ductu felix exitu, felicior reditu puer presentissimum attulit patri remedium, eumque senem manuum suarum labore sustinuit. TOB., XI.

Philippus Romanorum Principum primus fidei sectator, patrum suum adeo reveren-

ter habuit, ut in imperium se consentiente evectus gloriaretur se patrem habere, cui posset obedire non tantum ut filius, sed etiam ut Imperator. FAB., conc. IV, in *Festo S. Nicol.*, n. 2.

Quædam filia, Calvinistis in Gallia grassantibus et ingentem stragem edentibus, per media cadavera irruit, et patrem quæsit, inventumque adhuc spirantem humeris extulit et curavit. *Ibid.*

Childebertus et Clotarius fratres regia Francorum stirpe orti, atque ipsi Reges, cum de regni possessione armis disceptarent, essenque acie dimicaturi, Clothildis matris interventu ferrum inhibere, matris precibus et lacrymis moti: inde non solum prælio abstinerunt, sed concordæ facti mutuo se complexi sunt. *Sabell.*, l. III, c. V.

PIETAS MALE NEGLECTA, ET PUNITA. — Cham, quia debitam patri reverentiam neglexit, et nuditatem illius fratribus manifestavit, eum tota posteritate maledictus est. GEN., IX, 22 et 25.

Esau contra parentum voluntatem uxores secutus alienigenas, primogeniti benedictione spoliatur, et natu minori Jacob tamquam servus subicitur. GEN., XXVI, 34.

Rebellis Absalom impia in patrem Davidem arma movere ausus, tribus lanceis ex arbore suomet crine suspensus transfoditur. *Ibid.*, XXVII, 33 et 40.

Carolus Ludovici Germaniæ Regis natu minor filius celebri Episcoporum, et Nobilium Francofurti confessu a dæmone possessus est, quod adversus patrem rebellasset. Ita ipsemet deinde liberatus a dæmone fassus est, addiditque, toties se maligno isto hoste correptum fuisse, quoties impia illa studia animo versasset. III REG., XVII, c. IX, 14.

S. Bernardinus refert, adolescentem octodecim annorum et in patibulum actum, de repente capillo et barba cana visum esse, Deumque hoc prodigio docuisse, ad quam ætatem pervenisset hic adolescens, si morigerum se parentibus præbuisset. BARON., an. 873, tom. XII, ser. XVII *Dom.*, 2 *Quadr.*

De alio narrat S. Bonaventura et alii, quod cum coram patre prandere cum ipso volente caponem abscondisset, hunc, ubi pater discessit, recipere volens in horridum bufonem conversum viderit, qui ex lance in faciem insiliens, totam a mente in frontem occupavit, nec ante mortem avelli potuit

Quin et si qua parte bufoni molestia afferebatur, eadem ipso in simili corporis parte sentiebat. Unde jussus ab Episcopo per Provinciam circuire, ut omnes ejus exemplo saperent. PÆDAG. CHRYS., p. I, c. VI, § 3, n. 8.

In Frisia quidam a filio suo male tractatus, et per domum raptatus cum ad limen domus pervenisset, dixit: Satis nunc est, filii, nam et ego hucusque tantum patrem meum, et avum tuum crinibus traxi. *Ibid.*, n. 10.

Servus quidam, cum Dominum suum eques secutus fuisset, et pecuniam, quam ille perdidit, non advertisset, ab eodem irato pede truncatus, facta confessione intellexit ab Angelo, hanc penam a Deo immissam in castigationem culpæ, quam admisisset, eo pede quondam suam matrem indignæ ex curru turbando. Vide: « Plura in Appendice. » *Ibid.*, d. 42.

PIETAS LAUDABILITER INTERMISSA. — Sanct. Franciscus cum a Patre coram Episcopo urgeretur, ut bonis cederet, vestem exiit, eaque projecta ante patrem dixit: Hucusque te patrem judicavi in terris, amodo secure dicere possum: Pater noster, qui es in cælis, apud quem omnes thesauros resposui. S. BON., in *Vit.* c. II.

Nivardus S. Bernardi frater, etsi omnibus fratribus cum Bernardo fratre ad Religionem abeuntibus, ex asse hæres a parentibus scriptus, atque adeo ad manendum in domo paterna incitatus fuerit, generose tamen conditionem respuit, iniquum dicens, si fratres, celo rapto, sibi terram relinquunt. In *Vit. S. Bern.*, l. I, c. V.

S. Basilius etsi multis lacrymis et lamentis eum mater a proposito vitæ monasticæ arripientiæ deterreret, neutiquam tamen a proposito ut discederet, emolliri atque moveri potuit, ut de ipso S. Chrysostomus narrat. S. BASIL., l. de *Sal. docum.* 104.

Albertus Falchenbergensis Comitibus filius et Regis Galliæ affinitate conjunctus, Ordinem Prædicatorum ingressus, cum a Theodorico consobriano variis argumentis, et præcipue commemoratione materni doloris, ex quo aut jam obiisse, aut brevi obitura credebatur, ad redditum impulisset, Albertus oculos ac dignitum in tabulam, quæ adverso pendebat, et Christum inter B. Virginem et S. Joannem in cruce pendentem repræsentabat, intendens dixit: En Dei Filium, cum matrem et consobrinum, utrum-

que sibi tam charum, doloris gladio confossum videret, tamen e crucis patibulo, quod facile poterat, descendere noluit, sed in ea cum suo et illorum cruciatus usque ad mortem permansit. Quare nec ego quidem hanc religiose vitæ crucem, quam semel conscendi, deseram unquam, quamvis matrem, quam narras, et te consobrinum ad pedes meos exanimis jacere videam. Quin potius tu quoque in hanc eandem crucem mecum conscendis, teque mundi hujus laqueis expedis, in quibus hæres cum tanto periculo? Qua oratione motus Theodoricus, idem institutum secutus est. *HIER. PLAT., de Bon. stat. Rel.* l. II, c. XXXIV.

## EXEMPLA DOMESTICA.

AFFECTUS ERGA PARENTES ET CONSANGUINEOS DEPOSITI. — S. Ignatius, dum ei inter orandum litteræ et patria redduntur, eas mox ne apertas quidem in caminum ardentem conjecit. Idem in Epistola ad Duceum Najanzæ scripsit: Possum tibi omni asseveratione affirmare, totos decem undecimve annos ad nullum ex Loyolea familia ne litteram quidem me scripsisse; persuasi enim mihi, cum sæculo universo nuntium misi, illam quoque propter Christum me semel relinquere, neque debere eam repetere. *Vit.*, l. V, c. I.

S. Franciscus Xaverius in India proficiens persuaderi non potuit, ut modico diverticulo patriam reviseret. *Hist. Soc.*, p. I, l. II, n. 94.

B. Aloysius de propinquis adeo curam ex animo deposuerat, ut eos omnino ex memoria delevisse putaretur. Unde ipsemet fassus est, eos numquam sibi in memoriam venire, nisi cum singulariter eos Deo commendaret. *Vita.*

S. Franciscus Borgia postquam a Deo vocatus est, nihil antiquius habuit, quam oblivisci populum suum, et domum patris sui. Imo ne in sermone quidem deprehendi cognatorum affinitumque ullum amorem passus est. Litteris ea de re ab Antonio Araozio Roma missis respondit: Meos equidem amare non desii, Deumque quotidie venerans precor, salvos incolentesque esse jubeat. Et forsitan gratior Deo precatio, quæ quam minimum carnis, et sanguinis habet admistum. Perat ille amor, ut vivat, quem



quæro, cœlestis. Audita morte Isabellæ filiaë insperato extinctæ dixit: Depositem acceperam, repetit Dominus. Reddamus itaque quod par est, alacriter: quodque tamdiu usuram ejus dederit, grati testationem animi debimus. Igitur non lugendum, præsertim cum his vitæ miseris et corporis vinculis soluta emerserit, et in Beatorum sedes Dei clementia ut spero et opto, commigrarit. *Vita*, l. c. vi.

P. Petrus Faber: ex Hispania in Germaniam proficiscens, suam ipse patriam in conspectu positam, et prope quam tenendum erat iter, ne quidem spe lucri animarum a religiosa severitate deflectens, aversis oculis missam fecit. *Hist. Soc.*, p. I, l. III, n. 66.

Joannes Berchman, audita patris morte, jam verius, aiebat, dicam: Pater noster, qui es in cœlis: de reliquo nihil commotus. *Vit.*, p. II, fol. 44.

P. Antonius Pinna cum aliquando e nostris unus aliunde veniens, nomine fratris ejus Germani eum salutasset, et quædam etiam mandata sollicite dedisset, qui hoc rei est aiebat, adhuc mihi unus frater! Adhuc, ait hospes, imo valet, ac viget, ac plurimam tibi salutem dicit. Hic Pater subridens ait: Ejus epistolam abhinc tres annos accepi, quam etiamnum obligatam servo, et pro atramentarii operculo commode utor. *An. Pro. v. Eus. Coll. Ebo.* 1608.

P. Baltassar Alvarez affectum erga consanguineos adeo mortificatum habuit, ac si nec patrem, nec matrem, nec cognatos haberet. Numquam ab eo audiebantur, unde esset, aut quos haberet cognatos, nec in eorum negotia se ingerebat. Cum Romam proficisceretur, licet tribus tantum miliaribus a patria distaret, noluit tamen eo divertere, aut ullo indicio ad se accersere. Nihil ab eis volebat accipere. Dicebat, Religiosum debere esse quasi Melchisedech sine patre, et matre. *Vita*, c. xiv.

P. Gonzalus Sylveira a consanguineis ad domum invitatus, respondit, se humanum amorem qui sensu magis, quam ratione percipitur, perfectiori jam charitate permutasse, nullius apud se pretii esse ullum sanguinem præter eum, qui redemptionis humane pretium fuit, a quo in ara crucis effuso a peccatis ablutus, et a Dæmone vindicatus esse, eo se quotidie ali, Dum Sacra peragit mysterabili Christi consanguineus sit: turpe autem sibi videri, ut, qui tali

propinquitatis vinculo cum Deo ipso conjunctus est, ullam præterea in humanis curandam putet consanguinitatem. *Vita*, l. I, c. viii.

P. Franciscus Pavonus amorem consanguineorum ita exuerat, ut ne parentem quidem suum, ex quo Societatem ingressus est, aut viserit, aut allocutus sit, præterquam cum ex Provincialis imperio bene sibi ab eo precari postulavit. *Biblioth. Script.*

#### EXEMPLA PROFANA.

Cum mater quædam capitali crimine damnata, Triumviro in carcere strangulanda tradita esset, custos carceris vero non statim strangulare, sed inedia conficere decrevisset, interea vero filiam diligenter excussam, ne quid sibi aut potus inferret, in carcerem solatii causa admisisset, hæc aliquot diebus uberum suorum lacte comperita est sustentasse; unde senatus tanta pietate commotus vitam matri, matrem filiaë dedit, et utrique perpetuam alimoniam assignavit, ipsum vero locum Pietati templo exstructo consecravit. *VALER. MAX.*, l. V, c. iv.

Lyparis adolescens Neapolim profectus est, ut patrem e prædonum manibus liberaret: itaque in servitutem se dedit, patreque libertati restituto, ipse remansit in prædonum potestate permansit. *JOVIAN. PONTIUS*, l. II, c. iv, de *Obed.*

Scythæ olim cedebant Dario Regi eorum regionem vastanti usque ad ultimas Asiae solitudines. Interroganti deinde ab eo per Legatos, quem tandem fugiendi finem, aut quod pugandi initium facturi essent responderunt, se neque urbes, neque agros, pro quibus dimicent, habere; cæterum cum ad parentum suorum monumenta devenirent, scitum demum quomodo Scythæ pugnare consuevisset. *HERODOTUS*, l. IV.

Decii Imperatoris filius, cum pater eum Regem nominare, et diademate insignire vellet, renuit dicens: Vereor ne si Imperator fiam, dediscam esse filius. Malo non esse Imperator, sed humilis filius, quam Imperator, et filius indevotus. *IBID.*, ex *Pet. Bles. ep.* XLVII.

Cornelius Scipio patrem luminibus orbatum scipionis instar regebat. Unde Scipionis cognomen tum sibi, et toti familiae acquisivit. *IB.*, n. 3. ex *Chav. de prud.* l. I, c. x.

Quintus Cicero Marci Ciceronis fratris filium patrem ad necem quæsitum oculuit, nec ullis tormentis ad eum prodendum compelli potuit. *IBID.*, ex *Dioc.* l. XLVII.

Alys filius Crassi, cum esse natura mutus, ubi tamen vidit hostilem gladium paterno jugulo imminente, solutus dentium claustris prorupit in verba, quibus docuit affectum animi sui. *VAL. MAX.*, l. V, c. iv.

Coriolanus cum a Romanis inique damnatus ad Volscos descivisset, et ab his in Ducem electus Romanam Urbem oppugnasset, Romani desperata defensione Veturiam matrem, et Volminam uxorem ac liberos ejus in castra miserunt, veniam precaturos, quorum precibus ita permotus est, ut exercitum ab Urbe abduxerit, atque ab obsidione liberarit. *IBID.*

#### SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut, quo fortius connexa sunt duo vincula, tanto difficilius separantur; ita quo magis per vinculum cognationis adstricti sunt filii parentibus, tanto magis illis per amorem adhaerere debent.

ANONYM.

Sicut is, cui multum datum est, ad multa reddenda obligatur; ita cum nemo plus dederit, quam parentes, haud dubie etiam illis major reverentia, amor et obsequium debetur. *IBID.*

Sicut ciconiæ decrepitos parentes humeris suis ab uno loco ad alium portant; ita parentum quisque suorum onera, et imperfectiones magna cum charitate in se suscipere, ferreque debet. *IBID.*

Sicut caluli et pulli parentes suos, quocumque præcedant, sequuntur; ita vero filios laudabilia parentum suorum vestigia præclare æmulari decet. *IBID.*

NECESSITAS. — Sicut is, qui viæ ignarus ducentem non eligit, aut sequi recusat, graviter erret, necesse est; ita felicem vitæ suæ progressum frustra sperant filii, qui parentum suorum ductum sequi recusant. *IBID.*

Sicut pomum ab arbore separatum, putredine obnoxium, exitioque proximum est: ita liberi, qui genitoribus velut arboribus suis per amorem conjuncti non manent, non longe absunt a perditionis periculo. *IBID.*

UTILITAS. — Sicut palmites conjuncti viti multum et pretiosum fructum afferunt; ita liberi per amorem et obedientiam bene uniti parentibus multum fructum producent, atque ætate, sapientia, gratia coram Deo et hominibus, sicut olim Christus parentibus subditus, proficient. *JOAN.*, xv.

Sicut pullis ex omni capite melius prospectum est, si gallinæ sollicitudini curaque se committant, quam si proprio conatu arbitrioque vivere, alereque se vellent; ita liberi nunquam commodum suum melius promovebunt, quam si parentibus suis totos se regendos, alendosque committant. *ANONYM.*

JUCUNDITAS. — Sicut artificem nihil magis recreat, quam si opus undequaque perfectum produxisse se advertat; ita et parentes nulla majori voluptate afficiuntur, quam si filios omnibus numeris absolutos genuisse se advertant, juxta illud Salomonis: Filius sapiens lætificat patrem: Filius vero stultus mœstitia est matris suæ. *PROV.*, x, 3.

Sicut agricola vehementer exultat, ubi generosos fructus ex arbore legit, quam suis ipse manibus concevit, magnaque cura produxit; ita parentes summum percipiunt gaudium, cum optimos mores vident liberorum, quos ipsi genuerunt, tandem sollicitudine educarunt. *POLIT. t. VI. Epist.*

#### MOTIVA.

« Præceptum naturæ: » uti colligitur ex omnium brutorum, præcipue vero ovium instinctu, quæ vel ex mille aliis omnino similibus matrem suam agnoscunt, et sequuntur. *DEUTER.*, v, 6.

« Præceptum Dei: » juxta illud Deuteronomii: Honora patrem tuum, et matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. *ECL.*, ix, n. 29.

« Æquitas: » quam Salomon indicavit dicens: Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses. « Et Tobias: Memor enim esse debes, quæ et quanta pro te sit passa in utero suo. » *Tob.*, iv, 3.

« Utilitas: » quam Deus per Moysen proposuit, dum præcepto supra citato addidit:



« Ut longo vivas tempore, ut bene sit tibi. » DEUT., v, 46.

« Necessitas : » ob metum pœnarum, hanc virtutem negligentibus decretarum : si enim jam olim in veteri lege præcepit Deus, ut filius protervus, et contumax, comessionibusque ac luxuriæ vacans, lapidibus obruatur ; quanto magis in lege gratiæ, ubi, sicut major parentum erga filios cura exigitur, ita major quoque ab his reverentia, et amor expectatur, degenerum, et protervorum filiorum contumacia plectetur. DEUT., xi, 18.

#### MEDIA.

« Exemplum Christi frequenter considerare : » qui, cum tantus esset, tantam reverentiam, amorem, et obedientiam, tanto tempore, nempe triginta annorum spatio exhibuit. LUC., ii, 51.

« Exemplum Ethnicorum § 7, allata pendere : » ut vel sic erubescamus, quod filii hujus sæculi (et tenebrarum) prudentes (et parentum amantiore) sint filii lucis. LUC., xvi, 8.

« Exempla brutorum sæpe ob oculos objicere : » quibus et si natura denegavit rationem non tamen denegavit pietatem, teste S. Chrysostomo. S. CHRYS., hom. de Absal.

« Beneficia a parentibus accepta crebro ponderare : » sic enim excitabimur ad illud Siracidis monitum implendum : Retribue illis, quomodo et illi tibi. ECCL., vii, n. 29.

« Exempla filiorum ob pietatis officia neglecta castigatorum, diligenter considerare : » ut vel eorum damno sapientes, ad debitum parentibus honorem taque amorem exhibendum compellamur. Ideo namque Deus Absalonen in alta arbore pendere, et perire voluit ut tam tragicum exemplum facilius caderet in oculos illorum, qui similem ipsi proterviam irreverentiamque committere non verentur. II REG., xviii, 9.

#### ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ circa hanc virtutem bene apprehendere, aliisque inculcare debet Asceta, Primum est, ut bene

sciat et doceat, quæ officia filii debeant parentibus, quæ quidem omnia ad tria fere revocari possunt. Scilicet « ad Amorem : » ad quem spectat, eos magni estimare, et revereri (idest, non lædere vel minima ratione,) ac honorare tam verbis, quam factis. 2. « Ad obedientiam : » ad quam spectat, ut illorum non tantum imperia, sed nutus etiam, et consilia inquirentur, et impleantur. 3. « Ad subventionem : » sive in victu, si opus est, subministrando : sive in periculis hostibusque avertendis : sive in auxiliis pro morte feliciter obeunda, supplicioque Purgatorii devitanda præstandis.

Alterum est, ut bene cognoscat, quando, et cur non obediendum sit parentibus, nimirum juxta regulam a S. Hieronymo indicatam, dum dixit : « Honora patrem tuum, sed si te a vero patre non separat, tamdiu scito sanguinis copulam, quamdiu ille suum noverit Creatorem. » S. HIER., Ep. x. In hoc ergo casu non esse parentibus obediendum, cum communi Theologorum sententia docet S. Thom. idque ob triplicem rationem. 1. Quia, et ipse etiam Aristoteles, alique Ethnici agnoverunt, in iis, quæ ad corporis naturam pertinent, omnes homines pares, nec quisquam altero superior aut inferior est. 2. Quia, cum paternum jus sit participatio auctoritatis a Deo, a quo est omnis paternitas, merito Deo potius, quam supremo Domino, quam parenti tanquam vicario obediendum est. II, ii, q. 104, art. ult. Hinc pulchre S. Bernardus, sola, inquit, causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit : Qui amat patrem, et matrem plusquam me, non est me dignus. S. BERN., Ep. cxi. 3. Quia a Deo infinites plus, quam a parentibus accepimus, nempe corpus et animam, cum tamen ab his nec ipsum corpus sine Dei opera accepissemus, ut Job indicavit dicens : Nonne sicut lac multisti me, et sicut caseum me coagulasti, ossibus, et nervis compegisti me, et visitatio tua custodivit spiritum meum. JOB., x, 10. Unde merito S. Hieronym. dicebat : Non es ejus, cui nata, sed cui renata es. S. HIER., Epist. ad Heliod.

Tertium est, ut sciat, quomodo non obedientiam tantum negare in certis casibus, sed etiam amorem parentibus, atque adeo odisse eos debeamus. Id quod præclare S. Augustinus ostendit sequentibus verbis : Sicut præceptum, quo perdere jubemur

#### CONCEPTUS PRÆDICABLES.

animam nostram, non ad id valet, ut se quisque interimat, quod inexpiabile nefas est : et tamen valet, ut interimat in se carnalem affectum animæ, quo cum impedimento futuræ vitæ præsens vita delectat. Hoc est enim quod dictum est : Oderit animam suam, et perdat eam. Quod tamen diligendo sit, quandoquidem apertissime fructum ejusdem animæ acquirendo in eodem præcepto commemorat dicens : Qui perdidit eam in isto sæculo, in vita æterna inveniet eam. Ita et de parentibus recte dicitur, ut, qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, sed spirituali gladio Verbi Dei carnalem affectum eorum, quo et seipsos, et eos, quos genuerunt, irritamentis hujus sæculi obligare conantur, pie fidenterque percutiens et occidens, illud in eis vivere faciam quo fratres sunt, quo cum filiis suis temporalibus parentes æternos Deum Ecclesiamque cognoscunt. S. AUG., Ep. xxxviii, ad Latum. Neque tristitia parentum inde secutura abstrere debet; nam, ut bene D. Climacus dixit : Melius est contristare parentes, quam contristare Dominum Jesum : hic enim nos creavit, et salvavit; illi sæpe suos amando perdidit. S. CLM., Grad. Amor Dei, ipsiusque sanctum desiderium, extinguit in anima carnalem parentum amorem : qui autem utrosque amores in uno corde claudi posse putat, is seipsum decipit. Vetus ista est ars diaboli, inquit Platus, quæ illi in parente nostro Adamo nimium bene processit. L. III, c. xxxiv. Nam quid interest, inquit S. Augustinus, utrum in uxore, an in matre, dum tamen Eva in qualibet muliere, caveatur; nam ista umbra pietatis de foliis illius arboris venit, quibus se primi parentes nostri damnabili pietate texerunt. S. AUG., Ep. xxxviii. Merito ergo S. Hieronymus Nepotianum adhortatus dixit : « Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparsa crine et scissis vestibus nbera, quibus te nutriet, mater ostendat : licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem. Sicis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. S. HIER., Ep. ii.

Ex occasione thematis : « Subditus erat illis : » explicari potest : 1. Quomodo filii debeant esse subditi parentibus, scilicet integre, prompte et fortiter exequendo omnia, quæ Dei legi et voluntati non sunt contraria : ubi ceter, breviterque indicari potest, quando et cur interdum obediendum non sit parentibus, ut § priore ostensum est. 2. Explicari potest fructus ex tali obedientia sperandus, scilicet is, quem Christus reportavit crescens ætate (quem Deus indicavit dicens : Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram) sapientia (ad quam vel maxime conducit obedientia juxta illud Siracidis : « Fili, concupiscens sapientiam conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi) et gratia coram Deo et hominibus (quia nihil perinde gratum utriusque facit, quam si deprehendatur in omnibus et per omnia prompte parere). » ECCL., i, 83.

Ex occasione thematis : « Honora patrem tuum et matrem tuam : » explicari possunt commoda ex debito cultu parentum exhibito oriri solita, quæ quidem breviter Moyses loco citato indicavit, addens : Ut longo vivas tempore, et bene sit tibi. Quibus verbis tres videtur significasse fructus, scilicet. 1. Ut bene sit in bonis temporalibus, quæ vel maxime a filiis morigeris sperari possunt. 2. Ut bene sit in corpore, dum a malis intrinsicis et extrinsicis custodietur, qui talem cultum exhibet, sique longo vivet tempore. 3. Ut bene sit in anima, dum sicut ipse suis superioribus, ita passiones ipsi subjectæ erunt, sique flet, ut suavissima animi pace fruatur, meritaque spiritualia in immensum augeat. DEUT., v, 16.

Ex occasione thematis : « In opere et sermone, et in omni patientia honora patrem tuum : » ECCL., iii, 2. Explicari possunt officia filiorum erga parentes, nimirum. 1. Honor et reverentia. 2. Obedientia. 3. Obsequium et servitium. Quæ omnia tum ex hactenus dictis facile amplificari, tum apud FABRUM conc. v, in Festo S. Nicolai fusius explicata videri possunt.

Ex occasione thematis : « Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios



tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluiti? » *MATT.*, *XXIII*, 37. Possunt per comparationem pul-  
lorum explicari officia filiorum erga paren-  
tes. Nemp̄e. 1. Quod agnoscant matrem  
suam, et ament. 2. Quod magna cum fiducia  
ad ipsam tum pro alimento, tum pro defen-  
sione confugiant. 3. Quod ei perfecte obe-  
diant, sequentes semper et ubique ductum  
ejus. Ut autem hæc omnia promptius et  
perfectius præstentur, explicari potest, quo-  
modo vicissim parentes talibus filiis omnia  
gallinæ officia, nemp̄e sollicitam curam in  
generando, educando, protegendo impleturi  
sint.

Ex occasione thematis: « Aspice, et fac  
secundum exemplar, quod tibi monstratum  
est: » *EXOD.*, *XXV*, 40, possunt filii ad pie-  
tatem triplicium exemplorum propositione  
excitari, nimirum. 1. Christi aliorumque  
hominum sanctorum. 2. Ethnicorum.  
3. Brutorum, præcipue ciconiarum, dicique,  
hunc esse funiculum triplicem, quo filii ad  
pietatem erga parentes obstringuntur, qui-  
que difficulter rumpitur. Quem in finem  
exempla § 4 et 6, allata servire possunt.

Ex occasione thematis: « Retribue illis »  
(parentibus) « quomodo illi tibi: » *ECCL.*, *VII*,  
29, explicari possunt beneficia a parentibus  
accepta, scilicet, « generatio, educatio, nut-  
ritio, protectio, ditatio: » ac singulorum  
magnitudo tum ex difficultate ipsius operis,  
tum ex intentione affectus, tum ex aliis  
circumstantiis demonstrari. Deinde ostendi  
potest, quomodo compensari debeant filii  
hæc beneficia, scilicet, pro generatione  
amorem, pro nutritione reverentiam, pro  
educatione obedientiam, pro protectione fi-  
duciam, pro ditatione gratitudinem exhi-  
bendo.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Solon cum nullam pœnam  
in parentum percussores lege sancivisset,  
causam rogatus, eam esse dixit: quod nul-  
lam prolem tam efferam fore crederet, quæ  
tantum nefas ausura esset. *ALEX.*, *I*, *XXXI*,  
c. III.

Parentes negligere, nec Deus, nec homo  
mentis compos ullus consulet, dicebat Plato.  
*PLATO*, *I*, *II*, *de Leg.*

Alibi vero dicebat idem Plato: Putare

quisque debet omnia, quæ possidet, eorum  
esse qui genuerunt et educarunt. *PLATO*,  
*I*, *III*, *de Leg.*

Talem te, dicebat olim Isocrates, erga  
parentes præsta, quale se tibi liberos tuos  
exhibere optares. *STRABEUS*, in *Sent.*

Parentes, juxta Ciceronem, charissimos  
habere debemus, quod ab his vita, patrimo-  
nium, civitas, libertas tradita est. *CICER.*, *de*  
*Orat.*

Parentes non amare, impietas est, non  
agnoscere, insania, ut recte sensit Seneca.  
*SENEC.*, *I*, *III*, *de Benef.* c. I.

De ciconia sic scribit sanctus Ambrosius:  
Quam vero rationabilium excedat pietatem  
ac prudentiam ciconiæ clementia, conside-  
randum. Nam depositi patris artus, per lon-  
gævum senectutis, plumarum tegmine ala-  
rumque remigio nudatos circumstans sobo-  
les, pennis propriis fovet. Et quid dicam?  
collatio cibo pascit, quando etiam ipsa re-  
parat naturæ dispendia, ut hinc atque illinc  
sublevantes senem fulcro alarum suarum  
ad volandum exercent, et in pristinos usus  
desueta jam revocent pii patris membra.  
Quis nostrum levare ægrum non fastidiat  
patrem? Qui fessum senem suis humeris  
imponat, quod in ipsa historia vix credibile  
habetur? Quis, ut pius sit, non hoc servilis  
mandat obsequium? At vero avibus non est  
grave, quod pietatis est plenum; non est  
onerosum, quod solvitur naturæ debito.  
*Lib. V*, c. *XVI*.

Pelicanus a filiis ejus sanguine superin-  
fuso ad vitam revocatis, unanimi cura fo-  
vetur, et nutritur. *BEURLINC.*, them. *v*, in  
*fest.*, *S. Andreae*.

UTILITAS. — Pietas fundamentum est  
omnium virtutum; parentem ut Deum ven-  
erari ac vereri debemus. *CICERON.*, *pro*  
*Plan.*

Pietas ciconiæ eo usque frequenti testifi-  
catione increbuit, ut congruæ mercedem  
remuneracionis invenerit. Nam Romanorum  
usu pia avis vocatur. Habet etiam universorum  
suffragia; nam retributio beneficiorum  
*ἀντιμεταγγοῦν* vocatur *παραγῶς*; enim ciconia  
dicitur. Virtus itaque ab his nomen accipit,  
cum relatio gratiarum ciconiæ vocabulo  
nuncupatur. *S. AMBR.*, *I*, *V*, c. *XVI*.

DIGNITAS. — Nihil est tam honorificum  
liberis, quam debitum honorem parentibus  
offerre. *LARIPID.*, in *Herc.*

Nulla vi verborum, nulla ingenii facul-  
tate exprimi potest, quantum opus sit,

## AUCTORES.

Joannes Busæus, in *Viridario*, f. 519.  
Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. VI, c. II.  
Jacobus Alvarez, tom. II, l. III, p. II,  
c. VII, § 4.  
Henricus Engelgrav., conc. in *Dom.* 4  
post *Epiph.*  
Mathias Faber, conc. v, in *Festo S. Nicolai*.  
Laurentius Beyerlinck, themate v, in  
*Festo Beati Andreae*.

## FINIS TOMI TERTII.